



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis & dignitatibus. Consilium CCXXXII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

De Præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I V M

Beneficiorum incompatibilitas.

Beneficiorum curatorum accumulatio prohibita.

1. 4. Cap. Execrabilis De præben. in Extravag. Ioannis xxii. intellectus.

2. Cap. Super eo De præben. lib. 6. intellectus.

3. Unionis effectus.

CONSILIVM CCXXXII

MANIFESTA est Ioannis vicessimi secundi Papæ pluralitatem Ecclesiasticarum dignitatum, aliorumque beneficiorum curam animarum annexam habentium execrans & detestans constitutio, c. Execrabilis De præben. & dignit. in Extravag. Ioan. xxii. * per quam ampliata Concilij Lateranensis sub Alexandro Papa tertio constitutione, c. de multa de præben. & dignit. de non accumulandis pluribus dignitatibus & alijs Ecclesiasticis beneficijs curam animarum annexam habentibus, hæc poena adversus accumulantes statuta, ut adeptione posterioris ipso iure vacet prius; & si utrumque de facto retinere tentaverit, posteriore quoque privetur; ulterius constitutum est, ut contraveniens non tantum incurrat amissionem utriusque talis beneficii, dum utrumque seu plura de facto simul retinere tentat, sed præterea inhabilis fiat non tantum ad sacros ordines suscipiendos, sed etiam ad habendum quodcumque beneficium Ecclesiasticum. Iam vero ex facto proponitur, quod in Ecclesia Collegiata S. Germani Thenenensis principalis dignitas est Decanatus, & præterea duæ Plebanie seu Curæ parochiales; quæ singulæ annexas habent Canonicatum & præbendam in eadem Ecclesia; quarum Plebaniarum alteram ab hic septem circiter annis obtinuit D. Henricus Capricornus; qui & paulo post in eadem Ecclesia Decanatum obtinuit, illumque cum dicta Plebania totis sex annis retinuit, & in utriusque possessione de facto permansit.

Queritur, an ne per hanc utriusque tam diuturnam retentionem Decanatum ipso iure amiserit? Si ad dictæ execrantis constitutionis verba respiciatur, nulla videtur esse dubitatio, quin cum dictus Decanatus sit dignitas, & quidem cum evidente cura animarum, & prædicta Plebania notorie curata, propter sacramentorum exhibitionem illi in parochia incumbentem, dictus D. Henricus per adeptionem & retentionem utriusque utrumque amiserit, & præterea inhabilis factus sit ad obtinendum quodcumque etiam simplex beneficium Ecclesiasticum. Interim tamen in tam aperta juris decisione præfatus D. Henricus persuadet sibi neque amissionis neque inhabilitatis periculum sibi imminere, ex constitutione Bonifacij Papæ Octavi, in c. Super eo de præben. lib. 6. quæ statuitur, quod qui in Ecclesia personatum seu dignitatem habet, possit sine contraventione adversus prædictum Concilium generale, d. cap. De multa, in eadem Ecclesia præbendam, cui parochialis Ecclesia annexa est, sine ulla etiam dispensatione obtinere: quasi scilicet annexio parochialis curæ ad præbendam non faciat ipsam præbendam seu Canonicatum curatum, sed

Conf. Wansel. Tom. I.

relinquat eum in statu simplicis beneficii ex potiore denominatione. Ut regulariter accessio seu accessorium sequitur naturam principalis, etiam si principali minus sit, quod accedit, si tamen alienam insit. De re divis. l. accessorium De regul. iur. lib. 6. p. 1. Anbar. in d. Super eo nu. 21.

* eaque plerumque sit vis unionis & annexionis, ut unitum & annexum velut extinguitur, & in naturam eius, cui unitur, transformetur.

Verum vana nec iuri consentanea est hæc persuasio; ob id quod, dicta Bonifacij constitutio ex decreto supradicti Concilij Lateranensis accipienda sit, non de illa Ecclesia parochiali, quæ per ipsum præbendam Canonicum principaliter regenda est; sive in eadem sive in alia Ecclesia, sed de illa, quæ tantum à Canonicatu seu præbenda dependet; curæ ipsius exercitio relicto Vicario perpetuo; in annexa Ecclesia parochiali, per Episcopum seu uniendi seu incorporandi potestatem habentem instituto: ut fieri solet, dum ob exiguitatem reddituum præbenda Cathedralis vel Collegiata Ecclesiæ illi unitur seu annectitur Ecclesiæ parochiali, aut aliud quodvis beneficium vel dignitatis vel Curatum, c. Expositi de præben. Eo enim casu cura animarum saltem in foro penitentiali magis residet apud perpetuum Vicarium, quam apud Canonicum, cuius præbendæ non tam Ecclesiæ parochialis, quam illius fructus & redditus annexi censentur, ut ex sententia Glossæ, in d. cap. Super eo in v. annexa, tradidit Ioannes Monachi, in d. c. Super eo in princ. & ibi Gemiani. nu. 4. gl. 2. Ut non mirum sit, si natura Canonicatus maneat in suo priore statu, nec propter talem accessionem Ecclesiæ parochialis ipsa præbenda efficiatur curata. Unde est, quod si unita & annexa Ecclesiæ Canonicus præbendatus personaliter per se aut saltem per vicarium temporalem deservire debeat, locus esse non possit Bonifacianæ constitutioni. Quod ipsum satis quoque decernitur per dictam Ioannis vicessimi secundi execrantem constitutionem, in d. c. Execrabilis §. quantum autem ad modificationem, quod scilicet Ecclesiastica beneficia dicantur curam animarum habere, quæ parochias habent, in quibus est cura animarum, non per vicarios perpetuos, sed per Rectores & ministros beneficiorum illorum temporales vicarios exercenda; quasi quæ per vicarium temporalem regitur, censetur regi per principalem, qui in Ecclesia curata intulatus est, Cardin. Zabarella consil. 30. In hac dubia questione in princ. Cum igitur hic curatus Canonicatus non sit in alia aliqua Ecclesia (de qua potissimum loquitur Bonifaciana constitutio) sed in eadem, in qua quoque est prædictus Decanatus, & qui eundem Canonicatum habet, per se aut saltem per vicarium temporalem curam parochialem tam in foro penitentiali, quam contentioso exercere debeat; manifestum est, hunc curatum Canonicatum cum dicto Decanatu omnimodo incompatibilem esse; ideoque ex retentione utriusque præfatus D. Henricus indubitate incurrisse poenas dictæ execrantis constitutionis. Et ita quidem, ut etiam si docere posset aliquando visum fuisse, ut unus idemque in dicta Ecclesia eodem tempore habuerit & retinuerit cum Decanatu alteram ex dictis plebanijs seu curatis præbendis &

Nn 3

dignita-

dignitatibus, nihil id ipsi prodesse posset: quia tam potens est & Concilij Lateranensis, & dictæ execratis constitutionis prohibitio incompatibilium, ut nulla quantumvis inveterata consuetudo possit illam avertere vel mitigare sine dispensatione Sedis Apostolicæ. Cum alioqui planè absurdum foret, in eadem Ecclesia, in qua tam exiguus est Canoniorum numerus, unum eundemque & Decanum & Pastorem seu Plebanum esse, sic ex accumulatione duorum principalium diminuto eorum numero; ut eleganter respondit Freder. de Senis, *conf. 205. Ad aures*. Illud quoque non parum huic dicti D. Henrici conatui resistit, quod non constet has duas Plebanias ipsi Canoniatui seu præbendæ accessorie annexas esse; quod omnino requirit Bonifaciana constitutio, *d. c. Super eo*; sed potius Canoniciatus, seu præbendas venire in accessionem harum plebaniarum, aut saltem ita hæc duo consistere, quod neutrum sit alteri accessorium, sed utrumque per se consistat; & indubio non censetur in accessionem venire, quod per se majus & magis ex sua natura principale est, *glos. in Clem. Per lucas in v. Ecclesiæ De præben. per. Anchar. in d. c. Super eo nu. 2. & conf. 114. Pro impetrante*; ut proculdubio est Plebania, seu curatum beneficium in comparatione Canoniciatus seu præbendæ, *DD. in d. c. Super eo*. De quo minus in proposito dubitandum est, quod horum Canoniciatum & præbendarum Rectores seu possessores, etiam si verè sint in dicta Ecclesia Canonici, principalem tamen denominationem non habeant à Canoniatu, sed potius à Plebania seu Pastoratu; quia in usu magis Plebani seu Curati & Pastores vocantur, quam Canonici: ex qua denominatione, & illius possessione, principale non accessorium constituendum est, *d. gloss. in v. Ecclesiæ, Steph. Bertran. conf. 86. Viso casu nu. 12. vol. 8.* Cujus probabilitas augetur ex eo, quod hæ Plebanie originem vetustiorum in dicta Ecclesia habeant: Canoniciatum autem in eadem Ecclesia erectio, & parochialis Ecclesiæ in Collegiatam transformatio, vix centesimum vicesimum annum excedat: ut constet ex literis Apostolicis hujusmodi erectionis & transformationis, quas diligenter excutere consultum est, ad hoc potissimum demonstrandum, quod hæ Plebanie accessorie non debeant à Canoniatu seu præbenda. Atque ita existimo D. Henricum, qui tot annis hanc Plebaniam cum Decanatu contra iuris prohibitionem obtinuit, pro Decano habendum non esse, nec haberi posse sine rehabilitatione & dispensatione Apostolica.

De præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I U M.

Beneficiorum incompatibilitas.

1. 4. 5. } Concil. Trident. cap. 2. sess. 22. De reform. & cap. 17. sess. 24. De reform. intellectus, & desuper Cardinalium resolutiones.

2. Canoniciatus in Cathedrali quando olim fuerit incompatibilis.

3. Constitutio quadam Pij Quinti papa de anno 1568.

CONSILIVM CCXXXIII.

S I usquam in beneficialibus decretis sacri Oecumenici Concilij Tridentini est obscuritas, &

percipiendi veri sensus & intellectus difficultas, est certe illa vel maxima in eo articulo, qui ex hinc tertij capitis, De reformatione sess. 22. & ex decimo septimo capite sess. 24. exoritur; * ut planè & absolute dici non possit, an Canoniciatus non tantum Cathedralis, sed etiam collegiatus Ecclesiæ post dicti Concilij reformationem sit incompatibilis eâ incompatibilitate, quam exaceratur & detestatur Ioannis xxii. Papæ constitutio, c. Excecrabilis in Extravag. Ioan. xxii. tit. de præben. incompatibilitatem constituens plurium beneficiorum, dignitatem vel curam animarum habentium; ut nemo sine dispensatione legitima illorum similium vel dissimilium plura obtinere & retinere possit; sed qui unum obtinet ademptione alterius prius ipso iure amittat. In Canonico Cathedrali Ecclesiæ iustior est dubitatio; ob id, quod omni tali Canoniatui coherere & inherere videatur dignitas, & qui talem Canoniciatum habet, in dignitate constitutus videatur; illique ob id, ut alijs dignitate Ecclesiastica præditi, causæ per literas seu rescripta Sedis Apostolicæ vel Legatorum eiusdem committi possint, c. Statutum in princ. de rescrip. lib. 6. Quod oculos deflexendo videri posset, quod Venerabilis D. Iacobus Francæ Canonicius præbendatus Ecclesiæ Ruremundensis, accepta plena & pacifica possessione Parochialis Ecclesiæ Weertensis sub diocesi Ruremundensi, in illa etiam residens, exciderit omni iure Canoniatu Cathedralis Ecclesiæ Ruremundensis, & ipso iure illo sit privatus, *d. c. Excecrabilis §. qua vero demum, vers. alioquin ex tunc*; ut merito illi videri posset à Capitulo Ruremundensi prius denegata, & postea cum magna limitatione ad triennium concessa gratia absentie à dicto Canoniatu, propter residentiam in parochiali Ecclesia Weertensi, cum periculo amittendi omnes fructus Canoniciatus durante hoc triennio; sed sine periculo amittendi ipsius Canoniciatus; cum potestas ei data sit finito triennio revertendi ad residentiam in Canoniatu. † Cæterum conditio & qualitas huius, de quo quæritur, Canoniciatus aliud postulat: nam ex eo solo, quod sit in Cathedrali Ecclesia, dignitatem incompatibilem annexam non habet. Vt enim Cathedralis Canoniciatus tali dignitate præditus dici possit, hoc præterea requiritur, ut Canoniatui annexa sit cura animarum, iurisdictio, aut administratio: quod non obscure percipitur ex verbis supradicti tertij capitis, d. sess. 22. quo in pluralitate beneficiorum plus permittitur Canonici Cathedralibus, quibus iurisdictio, administratio, vel officium non competit, si in diocesi parochialem habentes Ecclesiam, in ea, non in Cathedrali Ecclesia resideant. Unde etiam est, quod sub generali appellatione, dignitatis ex sententia Glossæ, Philippi Franci, & aliorum, non contineatur simplex Canoniciatus Cathedralis, sed ut diversæ & distinctæ species coniungantur, in Bonifacij Octavi constitutione, d. c. Statutum §. 1. de his quibus per Papam aut eius legatos causæ committi possint & debeant. Indeque etiam est, quod Guilielmus de Monte Lauduno in interpretatione supradictæ exacerantis constitutionis, d. c. Excecrabilis in glos. ad verb. *quæ alias vers. in contrarium patet, & verb. sunt alia simplicia*, aperte tradat, quod simplex Canoniciatus etiam in Ca-